



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm SS. Apostolorvm Simonis Chananæi: & Thaddæi, qui & Iudas dicitur: Ex Ioachimo Perionio de rebus gestis Apostolorum. Eos vno eodemq[ue] tempore & eodem in loco martyrio occubuisse confirmat ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

reputantes, tres velut induciarum dies, à Daciao extorserunt. Interim illo in custodiam dato, firmiterque detento, sorores eius Sabina & Christeta in carcerem venientes, peruicerunt, vt cum eis frater fugam capesseret, hæc lege; vt si denuò vincirentur, ipsæ simul cum eo martyrium subirent. Vincentius salutis sororum suarum desiderio inflammatus, fugam cum eis arripuit, Abilamque peruenit. Daciaus vbi de fuga cognouit; immissa post tergum equitum turma omnes simul trucidari præcepit. Qui Abilæ reperti membratim in ecleo diuaricantur, ac conciduntur; nouissimè capitibus fuste lapideque illis, martyres efficiuntur.

Fugit è carcere cum sororibus suis & postea cū ijs martyrio coronatur.

MARTYRIVM SS. APOSTOLORVM

In Notat. ad Martyrol. Rom. & To n. 1. Annal. anno Domini 68. 28. Octob.

Simonis Chananæi: & Thaddæi, qui & Iudas dicitur: Ex Ioachimo Peronio de rebus gestis Apostolorum. Eos vno eodemque tempore & eodem in loco martyrio occubuisse confirmat quoque Baronius.

SIMON & Iudas fratres, Alphæo patre & Maria matre nati, gloriosam pro Christo mortem eodem in loco oppetierunt. Nam Simon quanquam in AEGYPTO, Thaddæus verò in Mesopotamia Euangelium prædicauerit, postremo tamen pariter conuenientes, in Perfide martyrio coronati meruerunt. Porro cum mater eorum, Maria Cleophæ, scilicet filia, modò Iosephi, modò Iacobi, scilicet mater dicatur; dubium non est hos quatuor vno patre & vna matre genitos, fratres fuisse. Et quidem Iosephus fuit discipulorum Christi vnus: Iacobus

eobus autem æquè Apostolus, post Christi in
 caelos ascensum, Hierosolymas profectus pō-
 tificiam ibidem dignitatem, martyrij corona
 postremò redimitus, administravit. Hi verò,
 quo tempore se in Christi disciplinam tradi-
 derint, sanctarum monumentis literarum pro-
 ditum non est. Apostolos autem eos delectos
 esse, aut potius selectos ex communi discipu-
 lorum numero, Matthæus, Marcus & Lucas do-
 cent. Eos verò ex Galilææ oppido, quod Cana
 dicitur oriundos esse, indè facillè colligi po-
 test, quod Simon hic interdum Cananæus, in-
 terdum Zelotes nuncupatur. Quoniam enim
 Cana Zelus ab Hebræis appellatur; duo eorum
 qui Evangelia scripserunt, Cananæum, Lucas
 verò Zelotem eum nominat; illi verbum He-
 braicum secuti: hic Græcam interpretationē.
 Ceterum de varijs eorum laboribus & certa-
 minibus & glorioso agone certi aliquid affir-
 mare nolumus: quandoquidem scriptores Ec-
 clesiastici aliter atque aliter sentientes inter
 se conflictantur. Hoc tamen communi ferè om-
 nium traditione confirmatur, eos pariter
 post multos in Mesopotamia & Aegypto ex-
 antlatos labores, in Persidem convenisse, ibi-
 demque innumerabiles Iesu Christo filios ge-
 nuisse; fidemque, qua nunc omnes meritò glo-
 riamur, in vastissimis illis regionibus & effe-
 ratis gentibus disseminasse: sanctissimum-
 que Iesu Christi nomen doctrina
 & miraculis, ac glorioso de-
 nique martyrio illu-
 strasse.

*Matth. 10.
 Marci 16.
 Luc. 6.*

*Simon &
 Judas vnde
 oriundi.*

*Vbiñ Chri-
 sti fidem an-
 nunciaverint
 & martyrio
 coronati sint.*

VITA